quos vitiat aliquod peccatum aliquod flagitium, ubi spectabuntur illi motus, uti debent spectari, secundùm suum *esse physicum*, quod est opus Dei; non verò secundùm suum *esse morale*, quod est vitium creaturæ.

In omni actione flagitiosa, duo diligenter distinguenda sunt: scilicet id quod physicum est, & id quod est morale. Id quod physicum est, est ipsamet actio: id quod est morale, est aliquis in hac actione rectitudinis defectus; seu aliquis defectus conformitatis cum lege aliqua divina aut humana. Nulla actio, physicè spectata, mala est; mala fit per *inordinationem Voluntatis*, ipsam eligentis, ipsam producentis aut produci imperantis; dum vetat ipsam eligi & produci Deus.

In hypothesi causarum occasionalium, Deo attribuuntur & à Deo efficienter produci dicuntur inhonesti & flagitiosi creaturæ motus, secundum id quod physicum in ipsis est, non secundum id quod ipsis est morale.

552. INSTABIS. Atqui non potest producere Deus inhonestos & flagitiosos creaturarum liberarum motus, secundum id quod est in illis physicum; quin eosdem motus producat, secundum id quod in illis morale est: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Quæ fiunt à Deo physicè, fiunt etiam à Deo moraliter: ergo si Deus producit inhonestos & flagitiosos creaturarum liberarum motus, secundum id quod in ipsis est physicum; eosdem motus producit secundum id quod in ipsis est morale: ac proinde, si Deus est illorum motuum causa efficiens, est etiam causa moralis. Probo ant. Quæ fiunt à Deo physicè, fiunt à Deo agente liberè: sed quæ fiunt à Deo agente liberè, fiunt à Deo moraliter; ergo quæ fiunt à Deo physicè, fiunt à Deo moraliter.

RESP. Nego subsumptum. Ad probat. nego ant. Ad tertium, dist. maj. Quæ fiunt à Deo physicè, fiunt à Deo agente liberè; id est, fiunt à Deo exercente libertatem suam immediate circa actionem quam ponit physicè, quam producit efficienter, nego maj.: fiunt à Deo exercente libertatem suam mediatè tantum circa actionem quam ponit physicè, quam producit efficienter, conc. maj. & sic distincta min., nego cons.

I. Suam Deus libertatem exerceret immediate circa illas actiones nostras, quas dicimus liberas: si absque ulla occasione à nobis data, si absque electione prævia à nobis facta, actiones nostras poneret & produceret, talem determinatè actionem ipse eligens & volens.

II. At non ita se res habet. Actiones illas nostras, quas dicimus liberas, non ponit Deus, nisi ex occasione actuum liberorum quibus eas volumus ipsi & eligimus. Unde, circa actiones illas, libertatem suam mediate tantum exercet Deus.

Verbi gratia, per liberum sibi decretum vult ab æterno Deus quatenus *Agens Naturæ universale*, naturales quoscumque motus producere, quos eliget & determinabit libera Petri voluntas. Eligit & determinat hic & nunc libera Petri voluntas naturalem in brachio suo motum, ex quo sequetur homicidium: Deo electionem hanc & determinationem frustra vetante. Motum hunc eligit & determinat Petrus, producit sed non eligit aut determinat Deus. Motivum quo Deus ad productionem motus istius determinatur, est æternum illud & liberum Decretum, de quo hic mentio habetur.

553. OBJ. II. Nulla sufficienti observatione aut speculatione evincitur, quod materia non habeat motum ex se aut ab alia materia: quod Anima humana non producat efficienter intrinsecos sui corporis motus, tum liberos, tum necessarios. Ergo philosophico omni fundamento destituti videntur in sua opinione recentes illi Philosophi, quibus placuit Deum esse Motus omnis causam efficientem unicam. Patet ant. Potuit enim evidenter Omnipotentia divina dare materiæ & Animæ humanæ, vim producendi efficienter motum: quanam autem efficaci observatione aut speculatione evincitur, quod talem utrique vim non dederit Deus?

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA RAUL RANGEL FRIAS U.A.N.L.

RESP. Nego ant. Ad probat., omisso ant., nego cons. Quæstio non est utrum potuerit Deus materiæ aut Animæ humanæ vim talem infundere, sed utrum vim illam de facto infuderit.

I. Rationes affirmandi quod *materia* non producat efficienter motum, fundantur tum in observatione materiæ, tum in observatione motus, tum in conclusionibus utrinque deductis.

Observatione constat materiam eam omnem quæ nostris maximè patet observationibus, esse ex natura sua inertem, esse ex natura sua indifferentem ad motum aut quietem; non moveri nisi ab alia impellente materia moveatur: quod evidenter nuntiat & manifestum facit, ipsam non esse efficientem motus sui causam.

Observatione constat materiæ motæ & impellenti eamdem esse naturam ac materiæ immotæ & motum ab impulsione accipienti. Ergo, si vim motus efficienter productivam ex se non habet materia impulsa: neque vim motus productivam ex se habebit materia impellens.

Observatione simul & speculatione constat non inesse materiæ *permanentem impetum*: qui non concipitur existere, nisi continuo producatur; qui non concipitur posse produci à materia ex se inerti & inactiva; qui concipitur non posse ab una materia in aliam transfundi. Ergo materiæ, tanquam causæ suæ efficienti, attribui non potest motus quem in materia observamus.

II. Rationes affirmandi quòd *Anima humana* non sit causa efficiens intrinsecorum sui corporis motuum fundantur etiam tum in observatione nostræ animæ, tum in observatione intrinsecorum nostrorum motuum, tum in conclusionibus utrinque deductis.

Experimentali nobis observatione constat inesse Animæ nostræ *vim quandam activam*, cui forte non repugnaret motum efficienter producere. Verum, ut vis hæc animæ nostræ activa efficienter produceret intrinsecos illos motus, tum necessarios, tum liberos, quos in nostro experimur corpore; omnino & absolute necessarium foret evidenter ut

animæ nostræ inesset simul, & aliquod *actionis medium* in organa ipsi movenda, & *distincta cognitio* organorum hic & nunc ab ipsa movendorum: quod utrunque ipsi deesse sentimus & experimur. Ergo intrinsecorum corporis sui motuum causa efficiens non est anima nostra.

554. OBJ. III. Si intrinsecis corporis nostri motibus causa duntaxat occasionalis est Anima nostra; ita ut *posita ipsius volitione*, producantur efficienter à Deo tales in nobis motus: sequitur motum & motus quantitatem pendere à nostris volitionibus; & corpus quodlibet posse à nobis moveri, quia possumus quemlibet velle & imperare motum: falsum evidenter consequens, ergo & ant.

RESP. Nego maj. Volitiones nostræ non sunt causæ occasionales nisi eorum motuum qui producuntur & recipiuntur in *spiritibus nostris animalibus*. Varii illi spirituum animalium motus exigunt subinde, tanquam causæ occasionales motum reliqui nostri corporis: quo motu rursus exigitur motus alterius corporis à nobis impulsi.

Unde patet non posse nos imprimere motum nisi iis corporibus, quæ aliquam habent cum corpore nostro proportionem. Corporibus enim nimiæ molis inest *vis inertiæ*, qua elidi & destrui potest primitivus omnis spirituum nostrorum animalium motus. (*Phys.* 286 & 310).

555. ADNOTATIO. Spiritus animalis est *subtilissimum aliquod fluidum*, ex partibus alimentorum activis & volatilibus enatum: quod motu pernicissimo, per internos fibrarum & fibrillarum nostrarum canales, ex cerebro, ubi præcipuè elaboratur & perficitur, ad extremas usque corporis partes in nobis expanditur, & ab extremis illis partibus in cerebrum refunditur.

Subtilissimo huic fluido duplex præcipua in nobis destinatio est: scilicet, ut *motui* & *sensui* sit causa occasionalis. Generali sensus nomine hic intelligimus internas ani-

mæ nostræ sensationes, internosque sensus à sensationibus distinctos.

I. Ab animali fluido *pendere in nobis motum*; demonstrat experientia. Verbi gratia: necessariis abstineat aliquis alimentis diutius: Deficient in ipso vires: quia evaporatione exhausti, nec nutritione reparati sunt spiritus illi animales, quorum cursu & recursu impelli & activa reddi debet humana omnis machina.

Aliquo Naturæ vitio obstructus aut aliquo accidentaliter ligamine strangulatus sit in nobis aliquis Nervus: Omni motu & omni motrice vi carebunt partes ipsius, ultra obstructionem aut ligamen positæ: quia usque ad ipsas non appellit causa motrix, scilicet, fluidum animale.

Abundanti & ritè elaborato huic fluido pateat in omnes corporis humani nervos liber aditus: Motibus ab anima expetitis & imperatis, patentes & dociles erunt omnes corporis humani partes.

II. Ab animali fluido *pendere in nobis sensum*, demonstrat etiam experientia. Experimentali enim observatione nobis constat eas Sensus impressiones, sive gratas, sive ingratas, sive indifferentes, quas experitur Anima nostra, non referri ad sanguinem, ad chylum, ad merum adipem, ad mera sine nervis ossa; non referri nisi ad nerviceas corporis nostri partes; illisque solis proinde partibus nerviceis convenire, ut sint talium impressionum causa occasionalis.

Verum, fieri nullatenus posse videtur, ut levissimus fibrillarum motus eodem instanti nascatur in planta pedis & ab Anima sentiatur in cerebro: nisi existat in nobis fluidum aliquod subtilissimum & ad motum expeditissimum, quod intra varios nervorum canaliculos, ex cerebro, ubi sedes est Animæ, in omnes corporis partes diffundatur; & quod levissimos partium sensitivarum motus & fremitus possit unico & indivissibili instanti ab extremitate pedis aut manus, in fibrillas cerebri transmittere, & animæ percipiendos dare & sistere. Ergo tale existit fluidum, impressionum in nobis sensitivarum causa occasionalis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA MIGUEL ANGEL PRADO U.A.N.L.

Hinc, *nervo fortiter ligato*, ultra ligaturam deest omnis sensibilitas: quia scilicet motus & fremitus quo modificatur ultra ligaturam ille nervus, sive impellatur, sive laceretur, sive comburatur, non transmittitur in fibrillas cerebri; non refertur ad Animam, omni cum ipso communicatione carentem.

556 OBJ. IV. Si neque Anima humana, neque Anima belluina, suum movet efficienter corpus: jam nullam utilitatem nullumque finem habet admirabile illud omne humani belluinique corporis artificium.

Præterea, si Anima nostra non producit efficienter motum: cur experitur se defatigari per varios & vehementiores sui corporis motus, qui à Deo solo producuntur? Ergo, neque speculationi, neque experientiæ, consonat hypothesis causarum occasionalium.

RESPONSIO. Anima humana est *causa physica* naturalium sui corporis motuum; illos enim motus aut imperat ejus voluntas, aut exigit ejus præsentia: sed est causa occasionalis, non vero causa efficiens. (351 & 548).

I. In hypothesi Dei motoris unici, suam utilitatem suumque finem habet admirabile illud omne humani belluinique *corporis artificium*: tum ut manifestetur infinita agentis supremi solertia; tum ne separentur & disrumpantur variæ corporis partes, dum naturales suos accipiunt & transmittunt motus; tum ut motus in se levissimus possit sensibiliter communicari quibusdam partibus separatim sumptis, verbi gratia, fibrillis aurium aut oculorum: qui motus in totam refunderetur & evanesceret massam, si nihil nisi rudis indigestaque foret moles, humanum belluinumque corpus.

II. Per varios & vehementiores corporis nostri motus, dissipantur & exhauriuntur in nobis spiritus illi animales; quorum existentiæ annexus est sensus vigoris, quorum absentiæ annexus est *sensus defatigationis*.

Quando exhaustam vim Animæ nostræ motricem

sentire nobis videmur: quid est vis illa motrix, quæ exhausta existimatur? An est anima ipsa? Sed anima non exhauritur. An est aliquid distinctum ab anima, & in anima receptum? Sed anima est substantia in se realiter simplex & nullatenus composita. (497).

557. OBJECTIO V. Non major est connexio inter voluntatem Dei & motum in meo brachio producendum; quam inter voluntatem animæ humanæ & eundem motum in meo brachio producendum. Ergo, vel negandum est quod Deus sit causa efficiens motus; vel concedendum est quod Anima humana quoque possit esse efficiens motus causa.

RESP. Nego ant. & plausibilem disparitatis affero rationem.

Cum Deus sit substantia in sua natura & in suis perfectionibus essentialiter illimitata & infinita: voluntas ejus concipitur & est per se essentialiter in omnibus activa & efficax. Contra, cum Anima humana sit substantia in sua natura & in suis perfectionibus essentialiter finita & limitata: voluntas ejus non concipitur habere activitatem in omnibus efficacem.

Unde Deo, volenti attribuendus est effectus omnis in se possibilis, ac proinde productio motus: Animæ humanæ volenti attribui non possunt nisi ii effectus, qui aliquam cum ipsius perfectionibus proportionem habere intelliguntur & deprehenduntur.

558. INST. I. Si motus omnis humanus à Deo produceretur efficienter: dum globulum lusorium dirigit lusor in alium globulum, dum plumbeam glandem ejaculatur venator in leporem aut perdicem, non aberrarent uterque à suo interdum scopo: falsum consequens, ergo & ant. Probo maj. Non haberrat à scopo Deus: ponit homo quidquid ab ipso requiritur ut attingatur scopus: ergo nunquam à scopo suo aberraret lusor aut venator.

RESP. Producuntur à Deo quidem, sed à nobis determinantur nostri motus. Unde, si imperaverit & determinaverit Anima nostra motum, qui debeat à scopo aberrare: producetur à Deo motus, qui á scopo aberret. Qui ludi aut venationis rudis est, aberrat à scopo: quia spiritibus suis animalibus aut motricibus suis fibris dari vult eam *motus quantitatem* aut eam *motus directionem*, qua data non attingetur scopus: venandi aut ludendi habitu edocebitur ille convenientem hanc motus quantitatem simul & directionem determinare; atque ita à scopo non aberrare.

559. INST. II. Si omnem Naturæ motum producit efficienter Deus, jam nullus Physicorum explicationibus superest locus: jam ad hoc reducentur physicæ omnes scientiæ, in explicandis Naturæ phænomenis, ut dicatur tale phænomenon ita evenire, quia à Deo ita producitur: falsum evidenter consequens, ergo & ant.

RESP. Dist. maj. Si omnem Naturæ motum producit efficienter Deus, ita ut nullam generalem & stabilem legem sequatur in producendis variis Naturæ motibus; jam nullus Physicorum explicationibus superest locus, jam nullæ sunt physicæ omnes Scientiæ, conc. maj. secus nego maj. & cons.

In producendis variis Naturæ motibus, *generales & stabiles quasdam leges* sequitur semper & ubique Deus. Illarum autem legum exploratio & æstimatio & applicatio est *ipsamet Physica*, humano Scientia ingenio ubique dignissima.

Verbi gratia, *motus acceleratus lapidis decidentis*, producitur à Deo physicè & efficienter. Sed motus ille est effectus dependens à *generali gravitationis lege*, quæ fuit Physicæ detegenda & demonstranda; & quæ debet à Physica cœlestibus omnibus & terrestribus innumeris phænomenis applicari: in quo sua omni sagacitate indiguit & indiget humanum ingenium.

560. CONCLUSIO. *Animam humanam* philosophicis obser-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA RAUL RANGEL FRIAS U.A.N.L.

vationibus simul & speculationibus in toto hoc tratatu subjecimus: ut inde intrinsecam omnem ejus naturam eruere-mus, & notam demonstratamque, quantum fieri potest haberemus. Ab illis autem observationibus & speculationibus philosophicis manifestè sequitur, Animam humanam esse substantiam ab omni qualicumque materia distinctam & diversam; esse substantiam in se immaterialem, spiritualem, incompositam, immortalem, liberam, in quibusdam facultatibus suis activam, in aliis merè passivam.

Ecce tibi quod spectat ad *esse ipsius physicum*: ex quo facilè eruetur, in tractatu de Religione & de Moribus, quod ad *esse ipsius morale* pertinet.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALFONSO REYES U.A.N.L.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM

TRACTATUS SEXTUS.

DE ANIMA BELLUINA.

561. OBSERVATIO. Quæstionem movemus, qua vix ulla est philosophica attentione dignior: sive in seipsa spectetur, sive in varriis suis ad præcedentem tractatum relationibus. Quæritur scilicet, *quid sit Anima Brutorum*: seu, quid sit intrinsecum illud principium, quo animantur, quo reguntur, quo ad varios suos fines mirabiliter impelluntur, variæ brutorum species: sitne substantia merè materialis, an substantia in se spiritualis, an substantia aliqua materiam inter & spiritum intermedia. Circa quod, à primis nascentis Phylosophiæ temporibus ad nostram usque ætatem, quintuplex enata & exorta est sententia philosophica, nobis hic exhibenda & expendenda.

I. Juxta antiquos & recentes Materialistas, ut Homini, sic Brutis inest *principium verè sensitivum*; sensitivumque illud Principium, in brutis & in hominibus, nihil est nisi materia organisata.

II. Juxta antiquos & recentes Peripateticos, inest Brutis *principium verè sensitivum*; sensitivumque illud principium est substantialis aliqua forma, materiæ belluinum quodlibet corpus constituenti indita.

Quid sit autem *substantialis illa forma*: id ab ipsis nunquam intelligibiliter definitum, nunquam sufficienter intellectum videtur.